



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Explanatio In Psalmos**

Complectens primos 25. Psalmos

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, [1761]**

**VD18 15558428-001**

Psalmus III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53377)



quæ tandem pereant, ut patet de Pharaone, Roboamo, Achab &c.

ŷ. 13. *Cum exarserit in brevi ira ejus, beati omnes qui confidunt in eo.*

Concludit, quàm bonum, & utile sit Christo servire: ejusmodi enim in die judicii ( qui erit dies iræ, non Misericordiæ ) qui non longè abesse potest, poterunt habere fiduciam. *Beati, qui confiduat*, non quòd solùm fiducia sufficiat; sed quia vera fiducia oritur ex verâ amicitia.

---

### PSALMUS III.

Titulus, & Argumentum: *Psalmus David* ( τὸν, sive Davidi, subintellige: à Deo inspiratus ) *cum fugeret à facie Absolon, filii sui.*

Orat Propheta pro liberatione suâ à persecutione Absolonis. Psalmus etiam debet intelligi de Christo, cujus figura fuit David; vide jerem. c. 30. Ezech. c. 34. Ose. c. 3.; ubi Christus etiam David appellatur.

ŷ. 1. *Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt adversum me.*

B

Que-



Queritur, & miratur multitudinem persecutorum. suorum. nam 2. Reg. c. 15. universus Israel sequebatur Absolonem. Sic pariter Israel contra Christum rebellavit, dicens: *non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Sicut David flevit mortem filii; ita Christus oravit pro Crucifixoribus: quod Arihitophel, intimus Confiliarius, & familiaris David, prodidit eum, & postea se ipse suspendit 2. Reg. 17., hoc convenit in Judam Iscarioten. *¶. 2. Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo ejus.*

Vel intelligitur interna tentatio Davidis à Dæmonibus suggesta; vel sermo imperfectorum hominum, qui bonos, ut erat David, in ærumnâ gravi constitutos, frustra in Deo sperasse existimabant. Sic de Christo dicebant: *Confidit in Deo, liberet eum, si vult.* Matth. 27.

*¶. 3. Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.*

Multi dicunt, frustra me confidisse in Deo; sed falluntur omnes: Tu, Domine suscepisti me protegendum contra hostes; imò glorificas me, & lætificas:  
*exal-*



*exaltans* &c.: tristes dejecto, hilares erecto capite incedunt. Sic solantur se iusti in tribulatione sua.

*v. 4. Voce mea ad Dominum clamavi, & exaudivit me de monte Sancto suo.*

Probat exemplo suo, quod jam antea dixerat. Sæpe alias afflictus clamavi ad Dominum, & semper exaudivit me. *Voce clamavi* &c. emphaticè exprimit affectum orantis: h. e. oravi non tantùm Spiritu, aut voce demissâ, sed etiam clamorâ. Per montem S. intellige vel Cælum, vel montem Sion, ubi erat Arca Domini, ubi Deus peculiariter residebat, & responsa dabat.

*v. 5. Ego dormivi, & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me.*

In persecutione filii mei *dormivi* &c, h. e. declinavi, fugi, non restiti: *soporatus*, ita derelictus, quasi mortuus essem; unde Absolon potitus est regno, quasi Rex mortuus esset: *exurrexi*, recepi animum, & cepi resistere, quia Deus me sustentavit. Rectè de Christo in cruce quasi dormiente, soporato in sepulcro, post resurgente non auxilio



humano, sed potentiâ divinitatis.

✠. 6. *Non timebo millia populi circum-*  
*dantis me: exurge Domine, salvum*  
*me fac Deus meus.*

Quia recepi animum, & paravi me ad resistendum inimicis, non timeo quocumque: *exurge* &c. pugna pro me &c. Dicitur Deus exurgere, quando incipit juvare; & dormire, quando non juvat. Christus resurgens hæc dicit non pro suâ personâ, sed pro corpore suo, sive Ecclesiâ, quæ ab initiis tot hostes, Deo freta, vicit.

✠. 7. *Quoniam tu percussisti omnes ad-*  
*versantes mihi sinè causa, dentes pec-*  
*catorum contrivisti.*

Hæc tam de Davide, quàm de Christo clarissima sunt: David pro se, Christus pro Ecclesiâ suâ Deum rogat, ut, sicut aliàs semper fecit, puniat illos, qui sinè causâ justos persequuntur; confringat dentes, h. e. efficiat, ut, licet latrare, terrere, non tamen mordere, seu nocere possint.

✠. 8. *Domini est salus, & super popu-*  
*lum tuum benedictio tua.*

Concluditur Psalmus per invocatio-  
nem,

tionem, & laudem Dei. Domino accepta referenda est salus, quæ salus est benedictio tua, Domine, super populum tuum: nam benedicere Dei, est benefacere.

NB. Post *Ps.* 2. 4. 8. additur *Sela* hebraicum, quod, juxta S. Hiero. idem est, ac *semper*, ut sensus sit: sint firma, ac rata, quæ dicta sunt.

### PSALMUS IV.

Titulus, & argumentum: *In finem in hymnis Psalmus David.* Cùm hic Psalmus sit unus ex utilioribus, *in finem*, perpetuò, sive frequenter canendus est, præsertim cùm Psalmus hic propriè Christum respiciat. Illud, *in hymnis*, posset etiam verti, in pulsatione instrumentorum Musicorum. Hic titulus infra sæpe recurrit, & eodem modo intelligendus est.

*Ps.* 1. *Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ: in tribulatione dilatasti mihi.*

David exemplo suo monet peccatores, ut convertantur, & fidant in domino, declinent à malo, & faciant bonum. Cùm ego, in tribulatione positus, Deum invocarem, exaudivit me: quod indè scio,